

CAPVT V.

DE

PERSONIS FEVDVM
CONCEDENTIBVS.

DISTINCTIO I.

*Inter primam feudi constitutionem
et collationem feudi iam constituti vel per
reinfudationem, vel renouationem
inuestiturae.*

*Subrum ex-
plicatur.*

[p.176.]

Feudum concedere generalis est locutio, quatuor sub se complectens casus. Vel enim ex re haecenus allodiali siue domini propria siue ipsi oblata ¹⁾ feudum nunc primum constituitur, et dominium eius vtile in vasallum per primam investituram transfertur; vel feudum iam antea constitutum, sed ad dominum iterum reuersum, de nouo ab illo in feudum conceditur; vel feudum per mortem vasalli ad successorem eius feudalem delatum huic per renouationem inuestiturae confertur; vel denique feudum mortuo domino a successore huius vasallo possidenti per renouationem inuestiturae confirmatur. Solent quidem hi casus non satis accurate a DD. distingui. Ast hoc male.

Vfus

¹⁾ Potius: *aliena*. Res enim, quae alicui offeruntur, vt aliquando iterum offerenti aut aliis in lege oblationis determinatis hominibus in feudum dentur, re vera propriae sunt. Sed feudale ius quoque potest alicui constitui, re aliena in feudum data, modo in feudum dans non plus iuris per infeudationem in vasallum transferre intendat, quam ei ipsi competit. *II. Feud. 8. pr. II. Feud. 25. WOL.*